



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

VI. De praegnantibus baptizandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO
CHRISTI
314
fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam
abiiciatur, & pœnitentiam inter laicos redactus a-
gat.

I I.

Mulier si duobus nupserit fratribus, abiiciatur
vsque ad diem mortis. Sed propter humanitatem
in extremis suis sacramentis reconciliari oportet;
ita tamen, vt si forte sanitatem recuperauerit, ma-
trimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur.
Quod si defuncta fuerit mulier in huiusmodi con-
fortio constituta, difficilis erit pœnitentia rema-
nenti. Qua sententia tam viri quam mulieres teneri
debebunt.

I I I.

De his qui frequenter vxores ducunt, & de his
quæ sæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ,
quod his constitutum, obseruabunt: sed conuer-
satio & fides eorum tempus abbreviabit.

I V.

Si quis concupita muliere, etiam concubitus e-
ius desiderium habeat, non autem subsequatur ef-
fectus: manifestum est, hunc fuisse per diuinam
gratiam liberatum.

V.

Catechumenus, id est, audiens qui ingreditur
Ecclesiam, & stat cum catechumenis, si peccare
fuerit visus, figens genua, audiat verbum, vt se ab-
tineat ab illo peccato, quod fecit: quod si in eo
perdurat, abiici omnino debet.

V I.

De prægnantibus, quod oportet eas baptizari

quando volunt. Nihil enim in hoc sacramento commune est parituræ, & illi qui de eius utero fuerit editus; quia vniuscuiusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.

VII.

Presbyterum conuiuio secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum præcipiatur, secundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter, qui propter conuiuium illis consentiat nuptiis?

VIII.

Si cuius vxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, fuerit comprobatum, hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti penitus non debet. Quod si in clericatu iam constituto eo, adulterauit, dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere eius consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.

IX.

Qui admiserit corporale peccatum, & hic postea presbyter ordinatus est, si confessus fuerit quod ante ordinationem suam peccauerit, non quidem offerat; maneat tamen in aliis officiis, propter eius studii vtilitatem. Nam cetera peccata censuerunt plurimi etiam ordinatione priuari. Quod si de his non fuerit confessus, nec ab aliquo potest manifeste conuinci; huic ipsi de se potestas est permitenda.

X.

Similiter & diaconus, si in eodem culpæ genere fuerit inuolutus, sese a ministerio cohibeat.

XI.